

Hannover 1672-1781

1. Bourbier de necessitate discordandi 1776.
2. Bourgard de pleuripneumonitide. 1754.
3. Braun de oculo humano 1877.
4. Brauneisen de hepatitide 1763.
5. Brockhausen de exstinctione urinae. 1781.
6. Broke de vesica urinae. 1754.
7. Bruck de Anagallide 1758.
8. Bruck de radicis fructicis Furiperi dessoto. 1736.
9. Brunck de Coriandro. 1739.
10. Brunck de mixta cruenta. 1740.
11. Brunner de foetu monstroso. 1672.
12. Brunner de partu praeternaturali 1730.
13. Busch de rachitide. 1754.
14. Busch de hepatomphalo cele. 1768.
15. Busch visio simplex et duplex. 1753.
16. Busch de liene. 1744.
17. Busch de partu naturali. 1775.



B. C. D.

DISSE<sup>2</sup>RAT<sup>T</sup>O MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
**PLEURIPNEVMONITIDE**  
QUAM  
SUB AUSPICIIS DIVINIS  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
CONSENSU

**PRO LICENTIA**

*SUMMOS IN MEDICINA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
RITE CONSEQUENDI*

SOLENNI MEDICORUM EXAMINI SUBJICIT  
**JOHANNES MICHAEL BOURGARD**

WESTHOFFENSIS ALSATA  
DIE XVII. MAJI ANNO MDCLIV.


H. L. Q. C.

---

**ARGENTORATI**

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA UNIVERSITATIS HEITZIANA.

DEO  
ET  
PROXIMO  
SACRUM.



## §. I.



Conoides pectoris cavitas, ex ossibus cartilaginisque, sterno nempe, costis & dorsi vertebris conflata, atque carnibus, intercostalibus nimirum, supracostalibus, sternocostalibus & diaphragmatis musculis, tandemque superjecta cute, circumclusa, densa, firma, albida tela, Pleuram (*a*) vocant, interius investitur. Hæc ea, qua thoracis cratem spectat, superficie, convexa, aspera & cellulosa, altera vero facie concava, lœvis & membranacea existit. Cellulosa pleuræ substantia membranacea processus est, & ubique pectus obducit. Ast membranacea substantia, quæ vera pleuræ lamina, in duos distinctos, amplos, membranosos fuccos magnarum inflatarum vesicarum instar effingitur, horum unus alteri oblique in medio fere (*b*) cavi thoracis aversa unione applicitus, intergerinum inter sternum & dorsi spondylos parietem, duas in cameras pectus sejungentem, qui Mediastinum salutatur, efficit.

(*a*) Πλευρα, πλευρα generaliter Græcis latus significabat, stricte vero πλευρα costas indigitabant, dein ἡ ὑπέσκατη τὰς πλευρας μὲν  
membrana costas succingens interna, etiam pleuræ nomine vocata  
A 2 tari

tari sivevit. Conf. FOESII *Oeconom.* Hippocr. pag. 513. GORRIET  
*Defin. Med.* pag. 378. & CASTELLI *Lex. Med.* pag. 595.

(b) Cum obliquam saccorum unionem plurimi Anatomici bene obser-  
vaverint, eandem non in medio plane thoracis contingere hinc  
etiam annotaverunt. Dexter enim foccus latior est, ad medi-  
um sternum adharet, descendendo vero sinistrorum inclina-  
tur; sinistus non ex sterno, sed ex cartilaginibus costarum de-  
scendit. Vid. WINSLOW *Exp. de la struc̄t. du corps hum.* T. IV.  
P. I. *Tr. de la Poitr.* §. 29. 30. HALLER. *Comm. in Boerhaa-  
vii Prælect. Inst. Med.* T. II. p. 101. & *Prim. Lin. Physiol.* §. 75.  
atque CHESELDEN. *Anat. of the hum. body* L. III. C. V.

## §. II.

Adduplicatum hoc ex duobus pleuræ saccis fabrefactum  
septum, mediastrinum, firmiter versus sternum & ad an-  
teriora conglutinatur, ita ut pellucidum plane & tenuē,  
quasi unica membrana esset, si parvum quoddam cavum,  
ubi, quo thymum abscondat, superiorius secedit, excipi-  
tur, appareat (c). Posterius vero hi sacci intercedente  
multa substantia cellulosa magis a se invicem dimoven-  
tur, & per totam suam longitudinem in triangulare,  
aortam arteriam, cœsophagum, intercostalis & vagi paris  
nervum, venam sine pari, ductum thoracicum & venam  
cavam complectens spatium, quod mediastrinum posticū  
(d) audit, abeunt. Quin & medio saccorum pleuræ  
copiosa cellularum congeries interponitur, unde itidem  
notabile quoddam usque ad inferiora patens interstitium  
(e), quo cor cum involucro suo, pericardio, inibi hospi-  
tari possit, relinquitur.

(c) Vid. WINSLOW. *I. c. §. 28.*

(d) HEBENSTREIT in Progr. *de Mediastr. postic.* Lips. 1743. GALE-  
NO hoc jam innotuisse, uti ex ipsius L. IV. C. 3. *de Us. Part.*  
*Corp. Hum.* videre est, probat.

(e) Hoc mediastrinum anterius ab HALLERO *Comm. cit.* p. 101.  
appellatur.

## §. III.

## §. III.

Pro pleuræ vero propagine, tertioque quasi ipsius facco, dum a medio usque versus inferiora duo facci divergentes cellulosa primo, dein membranacea sua substantia cavitatem cordi parant, Pericardium potissimum habendum est. Nullibi tamen locorum cordi foccus hic adnectitur, sed magnis solum arteriosis venosisque, vel e corde egredientibus, vel ad idem tendentibus, truncis, pericardii membrana interius adhaeret, & præcipue cum vasis, quibus pulmones instruuntur, in duplice thoracis cavitatem sese conjicit, omnemque tam sanguineorum, quam lymphaticorum, nerveorum & aëreorum vasorum struem, quæ ad duas illas molles, spongiosas, in utraque thoracis cavitate pendulas, & per mediastinum separatas massas, pulmones nempe, formandas concurrunt, ordinat, firmat atque involvit. Hinc & pulmones commune suum involucrum pleuræ acceptum referre, cum pericardium largiens a pleura oriatur, palam fit (f). Ita vero, quæ de pleura ipsiusque expansione & continuatione diximus, quod diversa, ob loca diversa, pleura, nempe subcostalis, mediastina, pericardina & pulmonalis detur, intelligenda sunt.

(f) Pleuræ cum membrana pulmonum continuationem HELVETIUS in Mem. de l'Acad. des Scienc. A. 1718. p. 21. experimentis & encheiresibus abunde confirmavit.

## §. IV.

A variis truncis costas succingens cunctaque thoracis viscera involvens membrana vasa sua mutuatur. Etenim pleura stricte dicta ab intercostalibus potissimum arteriis ramos accipit, mammariæ tamen internæ atque diaphragmati-

ce arteriae eidem etiam prospiciunt, & in eadem cum præcedentibus multis in locis communicant (g). Venæ ipsius ad intercostales præcipue venas sanguinem amandant. Qui a dorsalibus & intercostalibus huc tendunt nervi, robur & tensionem maxime eidem foenerare solent (h). Mediastinum ab arteriis, mediastinis vocatis, quæ a subclaviis ordinarie pullulant, a mammariis internis etiam, a diaphragmaticis, intercostalibus, & ab œsophagæis rubicundum liquorem accipit, quem ejusdem nominis venæ inde reducunt (i): iisdem etiam, uti tota pleura nervis instruitur, imo quædam adhuc ab octavo pari fila eidem accedunt. Pericardium thymicæ, phrenicæ superiores, mediastinæ, bronchiales, œsophageæ, coronariæque cordis tam arteriæ quam venæ pingunt, nervique a cardiacis superficialibus huc cedunt (k). Eam vero pleuræ portionem, quæ pericardii ope circum pulmonales bronchialesque arterias ac venas (l), uti & circum pneumonicum, ab intercostali & vago nervorum pari oriundum, plexum, imo circum aëreorum tuborum, bronchiorum nempe & vesicularum pulmonaryum congeriem dicitur, pulmonesque sic formare juvat, tam præcedentium intercostalium, mammariarum, diaphragmaticarum, mediastinarum, quam ipsarum, quas involvit, arteriarum venarumque sanguis irrigat, nervorumque tenuissimus latex, ex eorundem locorum nervis affluens, irrigat.

(g) RUY SCHIUS *Epiſt. Anat. Probl. II.* p. 18. de arteriis pleuræ prospicientibus egit, & Tab. II. fig. I. intercostalium, Fig. 3. mammariarum internarum ramos, ad pleuram tendentes, nitidissime æri inſculpere curavit.

(h) Conf. WINSLOW. *I. c.* §. 32. sqq.

(i) IDEM *I. c.* §. 33.

(k) HALLER *Prim. Lit. Physiol.* §. 79.

(l) Propter arterias & venas pulmonales EUSTACHII *Tab. Anat.*

COWPERI Anat. Corp. Hum. Tab. 25. DRAKE Anthrop. Nov.  
 Tab. 12. & 13. inspice. Circa arterias bronchiales RUYSCII  
 obs. 15. Dilucid. valv. in vasa lymph. subjunctam, & Ep. Probl.  
 VI. atque WINSLOW. Tr. des Arter. §. 1069. & circa venas  
 VERHEYEN. Anat. Tr. III. Cap. 12. ac HEISTER. Comp. Anat.  
 p. 1023. & Not. 42. consule.

### §. V.

Quo vero tam a pericardio, pleuræ propagine,  
 amicti pulmones, quam mediastinum, ipsaque pleura  
 vita, motu sensuque cum constantia quadam frui queant,  
 præter continuum nervi liquidi influxum refluxumque,  
 sanguinem jugi fluore per arterias nominatas advehi, &  
 per respondentes venas inde revehi, maximamque hujus  
 venosi sanguinis partem venæ sine pari (*m*), & ex ea  
 venæ cavæ tradi, necesse est. Quamprimum vero in co-  
 noidibus quibusdam convergentibus horum locorum va-  
 sis, sive in arteriis, circulus hic ita impeditur, ut ex  
 iisdem in venas redire nequeat, obstructionem inde in  
 minoribus lateralibus arteriis (*n*), stasem & inflammatio-  
 nem oriri, quis miratur. Et prout in his vel illis arteriis  
 diversa pleuræ loca visitantibus eadem contingit, diversa  
 tunc nomina induit. Equidem, si costis subtentam, aut  
 in mediastinum duplicatione mutatam pleuram tentat,  
 pleuritis; si pulmones velantem pleuræ propaginem, aut  
 ipsam pulmonum substantiam afficit, peripneumonia aut  
 pneumonia; si tam pulmones, & eos ambientem, quam  
 illam, quæ costas interius investit, pleuram, simul cor-  
 ripit, pleuripneumonitis hæc inflammatio vocatur.

(*m*) Insignem & mirandum venæ sine pari, sive azygæ, quam,  
 præter EUSTACHIUM de ven. sin. pari Tab. IV. fig. 1. 2. & VE-  
 SALIUM de Hum. Corp. Fabr. L. 3. Tab. p. 208, lit. EEG. & p.  
 28. in fig. apud LANCISIUM in Epist. ad MORGAGNI Adv. Anat.  
 V. annexa, accurate descriptam, & Tab. I. 4. c. affabre scul-  
 ptam.

ptam invenimus, mechanismum hic præterire non possumus. Sanguis quippe a respirationi dicatis partibus quoad magnam partem per intercostales & bronchiales venas reducitur, hæ, si o dinario circulo, in venam cavam inferiorem sanguinem traducerent, jam in maxima copia ibidem congestus sanguis, ei, qui ex his locis confluueret, resisteret, & quo minus perpetuo influere posset, impediret, cumque sanguini ex arteriis in venas ingressuero obex sic itidem poneretur, frequentissima in pneumoniciis organis membranisque stales, sed simul periculofissimæ, cum vitali actioni hæ famularentur, omni momento nascerentur. Ast profexit huic periculo sapientissimus Creator azygon quandam venam condendo, quæ inter intercostales, bronchiales ac cavam media, a dextra renali vena ordinarie, aut ipsa etiam cava inferiori oritur, & per diaphragma in dextrum thoracis latus ascendit, intercostalesque dextri lateris omnes, & octo inferiores sinistras, quæ quandoque in sinistram quandam azygon, iterum postea dextræ insertam, hiant, bronchiales etiam, imo & oesophagæas venas in se recipit, indeque acceptum sanguinem ascendendo, feso curvando, rufusque descendendo superiori cavæ venæ infundit. Ita quippe notabilis, inferiorem venam cavam obruturi, imo ægre influxuri, sanguinis pars, a peculiari vena ducitur, & absque impedimento proprio pondere in venam cavam superiorem & dextram cordis aurem delabitur. Conf. Boerhaave *Inst. Med.* §. 308.

(n) In arteriis propriæ stasis & inflammatio ob convergentem carum diametrum contingit, quamvis & ad initium venarum dein hanc phlogofin propagari posse non negemus. Non tamen ideo quomodo hic locorum fientis inflammationis sedes in venas potissimum conjici, imo culpa in azygam venam rejici possit, concipiimus, quod LOESCHER in *Diss. Mechanismum venæ azygæ pleuritidis carsum* Witteb. 1724. proponente, §. 12. sqq facit, ex ante dictis potius mechanismum venæ azygæ inflammationis pleuræ impedimentum esse, sine quo frequentissime accidet, elucere debet.

## S. VI.

Pleuritis (o), quæ arteriarum, in membrana costas succingente, averisque unione mediastinum effidente, de-

decurrentium, inflammatio existit, hisce sese in ægris signis manifestat. Aggreditur cum frigore & horrore, non tamen admodum longo, quin mox potius calor præternaturalis fortis, sitis, inquietudo, illius in locum succedit, pulsus frequens non solum, sed & plenus ac durus micat, febremque non modo, verum & inflammationem paratam esse, indicat, quam pungens lateris dolor tunc simul sese prodens, & in alterutro ordinarie latere, ad anteriora costarum, versus mamillam pertinaciter fedem suam figens, etiam declarat, ubi tamen hunc molestiæ sensum & versus sternum, ut mediastrum anticum phlogosi tentari, & versus scapulam dorsique spinam, ut posticum mediastinum (*p.*) inflammari inde concludere possimus, protendi notandum est. Semel vero ita ortus acutus dolor magis magisque acerbius affigit, & increscit, præcipue vero dum in inspiratione costæ intercostalium musculorum ope elevari, thoraxque sic ampliari debet, acerbissime excruciat, imo, quoties cordis ictus accidit, toties & lateris ictus, isque auctior, sentitur. Pleura quippe, ceu tensa valde jam in statu naturali tela, tunc cum costis magis tenditur, magisque ab impulso sanguine extenditur, hinc est ut miseranter anhelent & clament, imo inspirationem præ dolore absolvire nequeant ægri. A dolore ideo hoc lateris pungen-te, fixo, in inspiratione acriori, imo intolerabili, cum pulsu frequenti & duro, febreque acuta continente con juncto, atque a tussi vel nulla, vel sicca, absque ut quidquam extuiliatur, pathognomonicum pleuritidis signum defumere sueverunt pathologi. Tussis vero huic dolori sese associare non semper solet, quod pleura costalis frequenter sola hic irritetur ac tendatur, pulmonalisque membrana tensionis hujus particeps non fiat: quodsi vero & haec, propter continuationem membranæ com-

B

mu-

municationemque nervorum, in irritationis consensum trahatur, tussis tamen, quæ inde exsurgit, sicca est, nec unquam exscreatio, aut humoris materiaeque alicujus per asperam arteriam in pleuritide ejectio (q), cum via ex pleura costali in bronchiorum cavum nulla sit, eaque circulo humorum repugnet, sese manifestabit, ita ut a sputo levari liberarive pleuriticum unquam posse impossibile censeam. A reagentibus potius efficaciter satis viribus naturæ, id est cordis atque arteriarum, hæc in pleura nata stasis superanda, sanguis atterendus, dividendus, in circuitu redigendus, & ex arteriis in venas rursus adiungendus est, sique dolor pungens lancinansque minui, cessare, pulsus subsidere, tardior molliorque fieri, respiratio liberius exerceri, æger levari, inflammatioque quarto utplurimum aut septimo die, sudore ordinarie oborto, aut urina turbida facta, aut diarrhoea accedente, feliciter discuti poterit. Si vero febre pulsusque remissoribus factis, doloreque mitiori redditio, horrores subinde caloribus intermiscentur, in suppurationem pleuræ phlogosin verti, certo augurandum est. Et quando hic in pleura generatus abscessus non extrorsum, quod quidem rarius fit, sed introrsum rumpitur, in thoracis alterutram cameram materiam purulentam effundi, indeque empyema produci debet: quod fluctuatione, dyspnoea, difficiili in latere fano decubitu, si in una camera, si vero in utraque hæret, non nisi faciliiori in dorso, molestissimoque utroque in latere situ sese manifestat. Intra mediastini etiam cavum pus contineri poterit, tuncque in pronum pectus decubitus incommodior fiet. At si doles semper intenduntur, pulsus frequentissimus, durissimus, at debilis, concentratus aut inæqualis fit, respiratio summe laboriosa, parva anhelaque ducitur, mens alienatur, animus linquitur, singultus auditur, extrema frigescunt, dolorque subito cessat, in gangrænam, spha-

sphacelum & mortem pleuritidem terminari, tristis  
eventus confirmat.

(o) Nobis hic de vera pleuritide sermonem esse monendum est, imo non aliam, quam veram dari, autumamus, nam quæ spuria vocari solet, cum in pleura mali sedes tunc non existat, sed extra thoraciæ cavum in intercostalium muscularum membrana sedem habeat, ad rheumatismorum potius familiam ableganda, ex pœuritidum catalogo expungenda, & intra generale rheumatismorum nomen, uti alii, qui solummodo a loco distincti, sub pectoris, dorsi, lumborum, colli, brachiis rheumatismorum nomine venire solent, continende est.

(p) Hæc mediastini inflammatio mediastinitis vocari posset. Videatur enim usū apud medicos veteres obtinuisse ait VAN SWIETEN Comm. in Aphor. Boerb. Tom. II. p. 579. ut partis affectæ nomine adderent terminacionem itis, quando inflammatorum in primis ejusdem partis morbum designare volebant: cur ergo recentioribus medicis hæc libertas in denominandis inflammationibus, de quibus veteres nihil adhuc cognoverunt, non æque manebit. Et utuntur jure eadem plurimi hodierni pathologi. Gastritis, enteritis, hysteritis, cystitis nomina sunt a Cel. SAUVAGES Path. Meth. p. 217. Boerhaaviana autoritate suffulso, recepta. Solum tamen mediastinum absque intercostali pleura rarissime inflammari, sed ea inflammata in infortunii societatem demum trahi, notandum est. Hinc, si sub communi pleuritidis nomine concurrentem mediastini inflammationem alii comprehendere veint, iis nos non succensibimus. Cæterum BENTUS Sepulchr. Anat. L. II. S. III. p. 49<sup>o</sup>, tam complicatas, quam simplices mediastini inflammations, in cadaveribus detectas, proponit.

(q) Tussim omnes fere authores in pleuritide concurrere notant, imo exscretionem tandem etiam accedere statuunt. Et huic opinioni pleuritidis in siccam & humidam distinctione innititur. Nos vero humidam expungimus omnemque pleuritidem siccam, qualem HIPPOCRATES de Morb. int. L. III. n. 20 & de Loc. in hom. n. 37, atque GALENUS de Crisib. L. II. C. 10, descripserunt, esse statuimus, eamque, cum vel tussis nulla, uti quidem HONOLD de vera vera pleuritidis sède Diff. Argentinæ 1722. habita §. VII. & COSCHWIZ Diff. de pleuritidis & peripneumoniae differentiis Halæ 1724. defensa §. XIV. statuit, vel secca absque

Iputo; uti jam CELSUS de Medicin. L. IV. C. 6. illud cognovit, in eadem occurrat, cum GALENO ἀπτοσον vel ἀπεκτονον vocari posse arbitramur. Vbi tamen diverso, quo nos pleuritidis & peripneumonia sensu, veteres hos authores vocabula sumppusisse, non reticendum est. Pleuritis enim ipsis, si alterutrum tantum pulmonis latus, peripneumonia vero si utrumque inflammabatur, erat, pleuritidemque dein in humidam & sicciam rursus dividebant. Nos retinendo nomina aliam iis significacionem assignare necessarium duximus.

## §. VII.

Peripneumonia aut Pneumonia arteriarum ad pulmones pertinentium inflammatio est. Haec, quando pleurae pulmones investientis arteriae solummodo inflammantur, Peripneumonia κατ' εξοχην (r), Peripneumonitis, aut Peripneumonia Erysipelatodes; quando vero in ipsa pulmonum substantia reperiundae pulmonales bronchialesve arteriae phlogosi tentantur, Pneumonia, Pneumonitis, aut Peripneumonia Phlegmonodes (s) rectius vocatur. Et haec cum horrore invadit, itidemque paulo post calor praeternaturalis succedit, pulsusque, si arteriofa membranæ pulmones arcte ambientis vaſa ardent, frequentior duriorque; si vero ipsum pulmonum corpus uritur, initio tardior molliorque (t) esse solet. Statim etiam cum continent nata febre dolor in alterutro latere, rarius in utroque fese manifestat, qui vero non ita lancinans pungensque, sed gravatus magis & premens, nec in anteriori & sub costis loco, sed in interiori thoracis parte, & ad spinam dorsi magis sensibilis est, qui quidem cum inspiratio etiam non ita molesta, nec ita ægre absolvenda sit, tussisque humida magis existat, ac exscreatio subsequatur, vomitus etiam, qui pulmonis familiaris esse observatur, accedat, in pleura pulmonali ac ipso pulmonum parenchymate (u) inflammationem quærendam esse, medicum certiore reddit. Varium vero illa even-

eventum habere poterit. Nam nunc in resolutionem terminatur, hoc, quando sputum quarto die coctum, spissum, mucosum, aut flavum, biliosum, striisve sanguineis tinctum cernitur, sperandum est: ita quippe minuetur dolor, tandemque abibit, pulsus ad naturale metrum redibit, & respiratio ex voto restituetur, morbusque sudoris, urinæ, aut alvi largiori profluvio septimo die judicabitur, hanc tamen resolutionem in molli spongiosoque pulmonum viscere non ita facile ac frequenter fieri posse non reticendum est: Hinc si nulla quarto die coctionis signa apparent, nulla etiam septimo die perfecta crisis speranda, quin potius tenaciter impactum sanguinem in purulentam materiam mutari metuendum erit, siue sub remissione quidem, non vero intermissione dolorum, horrores cum astibus vicissitudines agunt, vomicam in pulmone generatam hi patefaciunt, quæ, si in superficie & in externa ejusdem membrana potissimum phlogosis fuit, in thoracis cavum, dum rumpitur, materiam purulenta effundit, & empyema, perinde uti in pleuritide, producit. At, si ipsum pulmonum meditullium inflammatione occupatum fuit, in bronchia per laterales exhalantes arteriolas, indeque in asperam arteriam, pus excerni, ac per fauces & os plurimum dierum aut septimanarum spatio exspui, donec penitus evacuata vomica fuerit, observatur. Quod si vero aliquid purulentæ materiæ intus remanserit, hoc mora acrius, tenuius magis & rodens fieri, ulcus in pulmone sive phthisin induci, multiplex tristis experientia docet. Indurari etiam pertinaciter in vasis impactus crux post hanc inflammationem in molli hoc viscere potest, scirrusque sic exinde oriri, & cruda inde pulmonum tubercula & tophi lapilli ve gigni solent. Quidquid infelicissimo interdum plane eventu, dum dolor magis magisque molestior redditur,

B. 3

pul-

pulsus frequentissimus, durissimus, inæqualis, debilis parvusque fit, gravissima orthopnoea affigit, aëris frigidus exhalatio accedit, summæ anxietates atque inquietudines accedunt, anginodes faucium ardor, faciei oculorumque rubedo sese præsentat, singultus auditur, deliria incurunt, animi tandem deliquium, extremorum frigus, dolorumque subitanea terminatio supervenit, in gangrenam, sphacelum & necrosin ire eandem observatur.

- (r) Peripneumoniae, aut, si terminationem, inflammationem melius denotantem, substituere volumus, peripneumonitis nomen, pro illa quidem inflammatione, quæ in pleura, pulmones ambiente, fit, designanda, nobis placet, & cum greco idiomate congruit, cum τιξη circa & πνευμων pulmonem indigit: ast in illam, quæ pulmonis substantiam afficit, minus quadrat, huic pneumoniae aut pneumonitis vox, quæ pulmones solummodo & immediate notat, aptius convenire videtur,
- (s) Anne non peripneumonia vera BOERHAAVII *Apb.* §. 820. cum phlegmonode, & notha sive pituitosa §. 867, peripneumonia cum erysipelatode una eademque est. Erysipelas enim ad albas & phlegmone ad rubras magis inflammations pertinet.
- (t) Hoc præcipue, si in pulmonalis arteria ramis inflammatio hæret, contingit, nulla enim inde cordi sinistro & aortæ ramis resistentia nascitur, nulla hinc in pulsu mutatio obserhabitur, omne enim obstaculum dextro cordi, e quo pulmonalis arteria exit, ponitur. Non tamen diu in pulmonaryibus arteriis solis inflammationem subsistere posse, quoniam cum bronchialibus ubique communicant, credimus, quod etiam vice versa circa bronchiales arterias notandum est. Conf. BOERHAAV. *Apb.* §. 823. & VAN SWIFTEN *Conn.* T. II. p. 713.
- (u) Sola quidem pleura pulmonalis, solum etiam pulmonum parenchyma inflammati potest, sed ex hac pleura in pulmones, & vice versa, celerrime semperque inflammationis transitus, ob innumera vasorum anastomosis fit: nec pericardium tunc ab igne intactum manet, adeoque pericarditis, fit venia terminacioni, etiam nascitur, sed cum sola vix esse possit, uti sectiones cadaverum in BONETO l. c. p. 453. reperiundæ, fidem faciunt, a peripneumonide aut pneumonide dignosci non poterit, quemadmodum & ha ipsæ a se invicem vix nosci poterunt, nec etiam earum dignotione opus est.

## §. VIII.

## §. VIII.

Hæc est pleuritidis ac peripneumoniæ facies, hisce symptomatibus uterque morbus, si separativm affigit, sese manifestat, unusque ab altero distingui potest. Verum enim vero, cum non nisi ex omnibus signis collective sumptis hunc ab illo exacte dignoscere liceat, eorumque, si distributivæ considerantur, plurima in utroque morbo convenientia, qualia præcipue pungens lateris dolor, pulsus frequens & durus, continens suis pedissequis stipata febris, summa spirandi difficultas & tussis existunt, quod magna in duobus his affectibus describendis & denominandis variatio, diversitas & inconstantia, inter authores occurrere soleat, non mirandum est. Cum vero præcipue cadaverum sectiones de vera morborum fede causaque medicos instruant, horum ex inspectione denominationum definitionumque suarum fundamentum desumere conati sunt. Ita plurimi, quoniam in illis, qui dolore lateris pleuritico decumbere censembarunt ægris, post mortem pleuram illæsam, foliosque pulmones phlogosi tentatos, pure infestatos, aut atro sphaceli carbone notatos (x), deprehenderunt, nullam plane pleuritidem dari, omnemque pungentem lateris dolorem a pulmonum inflammatione oriri statuere voluerunt, aut, si pleuritidis vocabulum, ex speciali quadam gratia, retinuerunt, pleuritidem alterutrius, & peripneumoniam utriusque pulmonalis lobi inflammationem esse, HIPPOCRATIS (y) effato nisi, contenderunt, tuncque quidam compositum potius nomen, pleuropneumoniam, pleuripneumoniam, pnevmopleuritidem aut peripnevmopleuritidem condere maluerunt, &, quando unum tantum pulmonum latus uritur, pleuripneumoniam, quando vero utrumque inflamiatur, pnevmopleuritidem.

demi affectum vocare soliti sunt (z). Alii vero, qui in pleura notam impressam in demortuis, pulmone intacto relicto, offenderunt (aa), vel pleuritidis & peripneumoniae vocabula, eo, quo nos illa explicuimus, sensu, retinuerunt, vel invertendo eadem, peripneumoniam pleuræ, & pleuritidem pulmonum inflammationem esse dixerunt.

(x) Vetusissimi authores jam pulmonem solum accusaverunt, ita DEMETRIUS HEROPHILUS apud CAELIUM AURELIANUM *Acut. Morb.* L. II. C. 16. pro pulmone pronunciavit. PLATERUS etiam *Præx. Med.* L. II. in ea sententia fuit, & WELSCH. *Cur. & Conf. Med. Dec. I. Cur. I.* scribit, quod PETRUS SERVIUS, Archistar Romanus, affirmare solitus fuerit, plusquam trecentos in nosodochio ad Sanctum Spiritum pleuriticos a se sectos, & semper lobum pulmonis infectum, materiaque repletum confpectum esse, pleura aut nihil omnino ad sentum vitiata, aut leviter tantum quodammodo inquinata. Imo idem ante illum BARTHOLOMÆUS VICARIUS L. de opt. agr. affit. Cap. II. in viginti fere hominibus observavisse testabatur: cui sententiae & IULIUS CÆSAR CLAUDINUS *Responz. Med.* 15. ZECCHIUS *Conf. Med.* 26. HOSCHSTETTER *Rar. Obj. Med.* Decur. VII. Cap. 7. SENNERTUS *Praef.* L. II. HOFFMANNUS *diff. de pleuritide & peripneumonia qua diversæ de his autorum sententiæ experientur* Hale 1699. habita §. 9. sqq. & *Med. Rat. Syst. T. IV. P. I. p. 426.* aliisque album calculum addunt.

(y) *De Loc. in Hom. t. 24.* ubi, cum ambo latera doluerint, hec quidem peripneumonia est, illa vero pleuritis, dicit, non vero sub πλευραῖς nomine latera simpliciter, sed pulmones intelligendos esse, interpres innuunt.

(z) Nomen hoc, primus, ni fallor, VINCENTIUS BARONIUS L. II. de Pleuripneumonia anno Domini 1633. & aliis temporibus Flaminianæ aliasque regiones populariter infestante ac a nemine bacillus obseruata Forol. 1638. proposuit. Integrum etiam Dissertationem SCHROEDERUS de Pleuripneumonia scriptum, quæ in BONETI *Med. Sept. Collat. T. I. L. II. S. 10. p. 348.* inferta est. Hæc tamen nomina soli pulmonym inflammationi ab ipsis imposita fuisse jam notatum est.

(aa) WIL.

(aa) WILLISIUS *Pharm. rat.* L. II. S. I. C. 9. hoc ex sectionibus pluribus probat. RIOLANUS *Euch. Anat.* L. III. C. IV. pleuram tyderatam decuplo crassiore invenit, ergo in se mortuum continebat. RIVERIUS *Prax Med.* L. VII. C. II. experientia sibi compertum, in multis pleuriticorum cadaveribus solam pleuram corruptam & putrefactam inveniri, affirmavit, quod & BONETUS *Sepulchr. Anat.* L. II. S. IV. p. 499. multis exemplis confirmat. DIEMERBROECK *Anat.* L. II. C. 13. itidem pleuram solam inflammatam in multis invenit, ut alios nunc prætereamus.

### §. IX.

Non vero per sectiones cadaverum & experientiam, sed etiam per argumenta & rationem denominationes suas defendere conabantur pathologi. Etenim, cum in illis, qui pro pleuriticis habitu fuerint, pungens lateris dolor nec acutissimus, nec maxime lancinans fuerit, cum inspiratio molesta quidem extiterit, at absolvi tamen potuerit, cum tussis humida adfuerit, cumque multam ac variam materiam extusiverint, peripneumoniacos potius hos ægros extitisse inde inferri debere contendunt. Hoc vero præcipue urgent, quod pleura, ceu maxime tensa, firma, costisque adnexa membrana, non nisi sub doloribus cruciatibusque summis inflammari possit, siue inflammatur, cum jam tensa satis, in inspiratione tunc ita violenter tendi debeat, ut inspiratio vix unquam præ dolore maximo absolvi poscit; viam etiam, qua sanguis aut sputum in pulmones & aspergat arteriam ex pleura costali pertingere possit, ex anatomia nullam indicari posse, addunt, quin circuli legibus illud repugnare; quod laxum humidumque aëri aliisque occasionalibus causis magis patens pulmonum viscus facilius quam pleura inflammetur porro afferunt; imo ætatem vel juniorem, ceu laxiorem, vel senilem, ceu mucosam; temperiemque sanguineam aut

C

phleg-

-409

phlegmaticam pulmones magis quam pleuram ad phlogosin disponere concludunt: sicutque non pleuram, sed pulmones potius, inflammationi objici palam factum esse arbitrantur, per consequens illum, qui hactenus pro pleuritide habitus fuit, affectum, vi allatorum argumentorum, accedente ex anatomia practica robore, Hippocratisque auctoritate, pro peripneumonia habendum esse, nullam hinc hoc sensu pleuritidem dari, si vero nomen retineri lubuerit, alterutrius pulmonis inflammationem nomine hoc designandam, utriusque vero lobi phlogosin peripneumoniæ titulo insigniendam, aut pleuripneumoniæ nomen, quod utrique inflammatorio affectui, nempe alterutrius pulmonis sive pleuritidi, & utriusque sive peripneumoniæ, convenit, adoptandum esse, ponunt (bb). At antagonistæ, cum in variis ægris revera pungentem, costis immediate succumbentem, acutissimum, ictui cordis & pulsui respondentem lateris dolorem, laboriosissimam, non absolvendam respirationem, tussim nullam, aut siccam, nec ullam exscreationem notaverint, ex loco, natura & fabrica pleuræ, ex mechanismo inspirationis, ex impossibili illius, quæ in pleura colligitur, materiae, sanguis pusve fuerit, per pulmones refectione, accedente itidem ex mortuorum fectionibus robore, pleuritidem utique dari, & a peripneumonia omnino distingui, asseveraverunt, peripneumoniam vero in dubium ideo non vocaverunt, simul tamen pleuritidem rariorem, peripneumoniam vero frequenter esse, fassi sunt (cc). Fuere vero quidam, qui ideas invertendo, qui hactenus pro peripneumonia agnitus fuit, morbum, pro pleuritide, atque vice versa, hac ex ratione habuerunt, quod acutus ille & lancinans dolor, in inspiratione potissimum molestior, unde præcipuum pleuritidis signum defumi solitum fuit, pulmonem potius inflatum, cum hic pleura sensibilior sit, indicet. Ab horum tamen parte  
pau-

paucos stare, cum pleuram firmam, tensam, pulmonem  
mollem, flaccidum sensu antecellere, extra omnem dubi-  
tationem positum sit, notamus.

(bb) Conf. FISCHER E. N. C. Cent. IX. Obs. 80. WELSCH,  
VICARIUS, CLAUDINUS, ZECCHIUS, SCHROEDERUS, HOFFMAN-  
NUS, aliquae II. cc.

(cc) Videatur WILLIS, RIOLANUS, DIEMERBROECK, RIVERIUS,  
BONETUS, HONOLD, COSCHWIZ II. cc.

### §. X.

Anne inter tot diversas medicorum opiniones, quo-  
rum quilibet sectioni, ratiocinio, autoritati fudit, ju-  
dicem vel arbitrum sese interponere velle, non audaciæ  
expertem hominem argueret? hancce tamen notam me,  
cum non nisi veritatis amore ad proferendum judicium  
inducar, evitaturum esse, spero. Illis utique me assentire  
minime posse palam profiteor, qui costali pleuræ nullam  
plane inflammationis culpam tribuere volunt, eamque  
in solos pulmones conjiciunt, quin potius, cum utro-  
rumque inspectionem mortualem accurate institutam fuisse  
lubentes credamus, tam pleuram, eamque solam, abs-  
que pulmone, quam pulmonem, eumque solum, abs-  
que pleura inflammari posse, statuimus, ob majorem  
tamen hujus membranæ elaterem, & ob minorem vaso-  
rum illam pingentium numerum, non ita frequenter in  
hac, quam in molli, minus resistentibus copiosioribus  
que vasis prædicto pulmonum vilcere inflammatorium af-  
fectum accidere posse, ultro concedimus: revera enim acu-  
tissime pungens lateris dolor, inspiratio præ dolore non  
absolvenda, tussis sicca omnino, & sputatio nulla, me-  
dicis clinicis in praxi rarius, quam remissior & obtusior  
lateris dolor, inspiratio simpliciter molesta, tussis humi-  
da & exscreatio occurrere solent. Verum enim vero

pleuræ inflammationem cum ea pulmonum, versaque vi-  
ce pulmonum phlogofin cum ea pleuræ creberime com-  
binari, & ita complicatum morbum, quem ego pleuri-  
pnevmonitidem voco (*dd.*), exsurgere posse, dicendum  
etiam est. Hinc nos ita nostram, circa inflammatorios pecto-  
ris pungentibus lateris doloribus fere manifestantes morbos,  
mentem aperimus, quod pleuræ costis subtentæ inflamma-  
tionem sive pleuritidem raram; pulmonum inflamma-  
tionem sive pneumonitidem, sub qua tam superficialem, in  
membrana pulmones arcte ambiente occurrentem, & pe-  
ripneumoniam a nobis vocatam, quam profundam, in  
substancia pulmonum factam, & pneumoniam nobis ap-  
pellatam, comprehendimus, paulo frequentiorem; com-  
plicatam vero tam pleuræ costalis, quam pulmonalis ipso-  
rumque pulmonum inflammationem, sive pleuripnevmo-  
nitidem frequentissimam esse, credamus.

(*dd.*) Veniam, quod terminationem mutaverimus, jam supra (*Nor.*  
(*p.*) petimus, nosque ratione & auctoritate insuper munivimus.  
Pleuripnevmonia aut pleuriperipnevmonia vox, quæ alii place-  
re posset, nobis, præter terminationem, ad inflammationem non  
quadrantem, ideo non arrisit, quoniā, qui illam hactenus  
adhibuerunt, non ad complicatam pleuræ costalis, pulmonalis  
ipsorumque pulmonum substantię inflammationem, sed ad  
pulmonalis solum pleuræ & pulmonis, sive unius sive utriusque  
lateris, phlogofin designandam, ea utebantur.

## §. XI.

Est ergo Pleuripnevmonitis pungens lateris dolor a  
complicata pleuræ costalis æque ac pulmonalis ipsorum-  
que pulmonum inflammatione ortum suum ducens. Inde  
vero pleuripnevmonitide plecti ægrum cognoscimus. Per-  
inde uti in pleuritide aut in pneumonitide ab horrore &  
frigore occupatur homo, huic etiam paulo post calor  
præ-

præternaturalis cum inquietudine, jactatione & siti succedit, ac pulsus itidem frequentior, plenior & durior manum tangentem ferire incipit, statimque his symptomatis pungens valde & acutus lateris dolor sese associat. Et hic vel illico ubique, ad anteriora videlicet costarum, & circa mamillam, sub sterno etiam ac in interiori thoracis, & versus scapulam dorsisque spinam æque sese sentendum præbet, admodumque acerbus est, dyspnœa etiam valde angit, sique inspiratio absolvenda est, ægre aut plane non eadem peragi potest, tussis tamen non ita sicca est, quin indies humidior evadit, sique pleuripneumonitis statim formatur, & quæ initio tenuiora, ea quarto ut plurimum die crassiora, mucosa, magis cocta, imo sanguineis striis tincta excernentur sputa, aut septimo quandoque, iisque, qui sequuntur diebus, flavecentem purulentam formam induunt, ut per largam talē exscretionem symptomata omnia, febrem, pulsus duritiem, dolorem, icūm, tussim, dyspnœam mitigari, tandemque plane cessare obseretur. Quibusdam vero in subjectis per urinam vel alvum purulentam materiam evacuari, sique per has vias morbum solvi memoriæ traditur (ee). Quemadmodum & per largum urinæ, alvi aut sudoris profluvium eundem sublatum fuisse in comperto est. Vel ab initio nunc pleuritis sola, ex dolore sensibili, inspiratione molestiori, tussi sicca & sputo nullo dignoscenda; nunc pneumonitis sola, ex dolore obtusiori, inspiratione paulo leviori, tussi humida & expunctione deteganda, ægrum tentat; sed pleuræ inflammationi illa pulmonum, aut pulmonum phlogosi illa pleuræ deinceps supervenire, sique, qui simplex primo fuit inflammatorius pectoris morbus, in complicatum frequentissime abire solet (ff). Prouti vero vel per se affligit, vel ab alio morbo dependet, nunc idiopathica, nunc sympathica, prouti etiam vel unum

C 3

aut

aut alterum hominem adoritur, vel populariter grassatur, nunc sporadica, nunc epidemica pleuripneumonitis existit. Pathognomonicum vero semper pleuripneumonitidis signum pungens lateris dolor tam in antica, quam in media & postica thoracis parte sentiendus, cum pulsu frequenti, duro, continente febre, tussi humida & expunctione conjunctus, est. Prouti vero materia, quæ excernitur, vel mucoso-sanguinea, vel purulenta, vel fanoifa, vel tophacea, calculosa, nigra livescensve fuerit, aut discuti, aut in suppurationem, in phthisin, scirrum, gangrenam, sphacelum & mortem eandem verti, facile intelligetur. Quodsi vero in suppurationem illa abit, non omnem ideo purulentam materiam per os excerni, sed eam, quæ ex rupto pleuræ abscessu effunditur, in thoracis cavo colligi, empyema inde generari, vomicamque pulmonis cum empyemate thoracis in hoc morbo ordinarie tunc complicari notandum est. Hujus vero suppurationis, uti & aliorum complicatae hujus inflammationis exitium signa apponere nimis amplum ducebimus, cum ex iis, quæ de utroque morbo separatim jam diximus, huc transferri, & ex generali inflammationis ejusque terminationum theoria arcessi poterunt.

(ee) In inflammatione pectoris multum purulentæ materiæ per urinam & alvum reiectum fuisse *VALLERIOLA Obj. Med.* L. I. obs.

4. *ZACUTUS LUSITANUS Prax. Hist. L. II. RHODIUS Obj. Med. Cent. II. Hist. 15.* fidem faciunt. Sub ficeri tamen puris forma materiam a pectoris locis per venas resorptam, & cum sanguine tunc permixtam, per has vias excerni posse, vix crediderim, ita quoque *HOFFMANNUS Diff. cit. §. 21.* sentit.

(ff) *RIOLANUS ENCHIR. Anat.* L. V. C. IV. non infiior posse communicari pulmonibus & pleuritidem degenerare in peri-pneumoniā dicit. *RIVERIUS Prax. Med.* L. VII. C. II. quod in plurimis in pleuritide interemptis pulmo affectus inveniatur, inde concludendum non est semper ita contingere, nam pleuritides vehementiores, quæ mortem inducere confueverunt, in peri-

pneu-

pneumoniam utplurimum degenerant. CAR. PISO de Morb.  
a serof. colluv. orisnd.. S. 3. C. 9. Dominus de Gatinis a pul-  
monia & pleuritide complicatis convaluit, beneficio copiose ex-  
cretionis cruentæ, dixit. TRILLER doctissimo Commentario de  
Pleuritide C. I. §. 7. nulla vero pleuritis, me quidem judge,  
sine peripneumonia, vera tamen peripneumonia interdum est raro  
sine pleuritide dicit. Et VAN SWIETEN Comm. in Boerb. Aph.  
T. II. p. 729. ubi jam pleuritidi succedit peripneumonia, vel una  
cum locis intercostalibus inflammatur & pulmo, quem morbum pleu-  
roperipneumoniam vocare solent medici, acutus dolor adeat, verum  
ille tunc non oritur ab ipsa pulmonis inflammatione, uti facile  
patet.

## §. XII.

Multo vero frequentiorem, imo frequentissimam  
pleuripneumonitidem præ pneumonite, quæ rarior,  
& præ pleuritide, utpote rarissima, esse diximus, hoc  
nunc sequentibus argumentis probare annitemur.

I. Experiencia & attenta ægrorum pungente lateris  
dolore correptorum observatio nos edocet, quod vel statim  
ab initio morbosí insultus ubique tam in antica,  
quam in media & postica thoracis parte ictum sense-  
rint; quod inspiratio admodum fuerit molesta; quod  
tussi non admodum sicca vexati fuerint; quodque semper  
sputi quidpiam excreverint; &, quo plus increvit morbus,  
eo humidior tussis, eoque copiosior exscreta, diver-  
sicolorque pro diverso inflammationis eventu factus fuerit,  
rarissime vero absque dolore in antica thoracis parte,  
quod pneumonitidem notat, aut absque sputo, quod  
pleuritidem potissimum designat, inflammatorium pecto-  
ris morbum decurrisse: ex quibus symptomatibus collatis,  
utrumque locum creberrime affici, manifeste pa-  
tet (gg).

## II. Sectio-

II. Sectiones & inspectiones cadaverum dolore & inflammatione lateris defuctorū, non modo aut pleuram solam, aut pulmonem solum infestatum fuisse, detexerunt, sed &, si non plures, numero tamen æque multæ, a defuctorū sectionibus defumptæ observatio-nes, & pleuram, & pulmones simul inflammatione devastatos fuisse loquuntur (*hh*), ubi nunc suppuratione, nunc scirrho, gangræna & sphacelo utrumque locum notatum fuisse, per sedulam hanc scrutationem constitit.

III. Pleuræ costalis & mediastinæ cum pulmonib[us] ope pericardii continuitas, membranæ uno in loco tensæ irritationem ad omne punctum continuæ telæ propagari posse, probat, vix hinc uno in loco ita permanens esse dolor poterit, ut non reliquæ irritabilis membranæ propagines fere semper in consensum trahantur, pleuritisque, mediastinitis, pericarditis, peripneumonitis & pneumonitis concurrant, invicemque pleuripnevmonitidem constituant.

IV. Vasorum, quæ costalem æque ac pulmonalem pleuram pingunt, quæque ipos pulmones formant, inter se invicem communicatio, medianibus intercostalibus, mam-mariis, diaphragmaticis & bronchialibus arteriis, in bron-chiales intercostalesque potissimum, tandem in azygam venam sese inferentibus, contingens, quod, si in communica-tibus arteriis inflammatio acceditur, illa ad alios alios-que porro communicantes tubos propagari, sicque vel statim ubique locorum in pectori phlogosis fieri, vel si in pleura primum, pulmone solo prius ignis concipi-tur, ad reliquas partes facile & celeriter eadem sese ex-tendere possit, probat.

V. Nervi ad pectoris partes tendentes, a communibus truncis, ab intercostali nempe, a pari vago, & a dor-salibus oriundi, tantum pleuræ cum pulmonibus con-fensem

sensum conciliant, ut nec hos absque illa, nec illam absque his impune vellicari posse, quin non in passio-nis societatem trahantur, credibile fit.

VI. Pleuræ costalis tandem & pulmonalis quodam in loco concretio facta (*ii*), sive nunc naturaliter & a nativitate, sive præternaturaliter & a læsione hæ partes ita conferbuerint, complicatam facillime phlogosin producere, imo citiorem, latiorem & notabiliorem eandem reddere potest. Nec in hoc solummodo statu, aut in unico hocce casu pleuritidem, uti quidam voluerunt, nasci posse, credendum est, nam pluribus ex causis pleuritis adhuc evenire potest, &, si sub hisce circumstantiis inflammatio exsurgit, non ad pleuritidum tunc, sed ad pleuripnevmnitidum familiam pertinet, imo & hanc ob multas alias adhuc causas frequenter evenire, modo dictum est.

(gg) Qui accuratissime de pleuride scriptus TRILLERUS *I. c. Aph. gen. §. 1. ad 4.* ita sentit: *pleuritis uera in membrana pleura & muscu-lis vasisque intercostalibus generata, propter viciniam mediastinum, ipsosque pulmones simul in consensum rapit, & simili labe incen-siva contaminat. Vel quæ vix versa prius in vasis bronchialibus & externa pulmonum parte oborta, pestiferum postea contagium spar-git in contiguam pleuram pectus intus succingentem, & musculos simul intercostales cum vasis suis sanguiferis. Vel quæ uno eodem-que punto temporis, quis enim hac accurate satis definire ansit, & thoracem cum suis membranis & musculis, & ipsos adeo pulmones subito corripit, & foeda labe caustica corruptit. Suffici-s certe, non pleuram solum offici quod bacillus quidem temere cre-ditum, sed ipsam quoque pulmonum substantiam simul infestari, quod unicus medicinae ocellus, anatome, docuit luculentissime.* BONRTUS etiam Sepulchr. Anat. p. 498. vulgaris observationis est, inquit, peripneumoniam saxe numero pleuritidi succedere aut supervenire: super hoc opinari ducor peripneumoniam & pleuri-tum affectus esse modo singulares & separatos, modo connatos & primi-

*primitus coexistentes, & modo invicem successivos aut succedentes esse.* Conf. & van SWIETEN Comm. Apb. Boerb. T. III. p. 7.

(bb) PANAROLUS Iatrol. Pentec. I. obs. 48. *pleuritide interemptum secui*, ait, *qui maximam sanie copiam tuum in pleura, tum in pulmonibus habebat.* ROLFINCUS Diff. Anat. L. VI. C. 27. in studio aperto post obitum cadavere, inventis ingens in latere sinistro pleuriticum apostema, quod pulmonem simul occuparat, BONETUS Sepulchr. Anat. I. c. p. 508. MURALTI observationem assert, *qui ex pleuritide pneumonicum secuit, in quo pleura pars dextra superne purulenta erat, dextra posterior cavitati vel integra puris mensura inerat foetidi, obscuri, slaveficiis, qualis etiam intra pulmones ipsos fragrabit.* RHODIUS Obs. Med. Cent. II. Obl. XI. *in cadavere coenobite cucullati confinxit lesos ante pleuram pulmones, aeger nempe ab angina in peripneumoniam, & ex hac in pleuritidem incidet.* DIEMERBROECK Anat. L. II. C. 13. *in omnibus pleuriticis inflammari pleuram, eamque solam, si pulmo liber esset ab ejus connexione, sed si illa pleura adhaerentem partem inflammari, compertum est, dicit.* TRILLER L. c. ad unicum medicinæ ocellum, anatomæ, pariter provocat, quando pleuram non solum affici, sed ipsam quoque pulmonum substantiam infestari dicit.

(ii) Pulmonum cum pleura concretorum plurima exempla in BONETI Sepulchr. Anat. I. c. p. 501. sqq. collecta legi possunt: imo HOFFMANNUS Diff. de pleuritide & peripneumonia §. VI. in sectione multorum cadaverum se plures deprehendisse pulmones adnatos, quam liberos, affirmat.

### 9. XIII.

Proxima pleuripnevmonitidis causa sanguinis in minoribus & lateralibus costalis, mediastinæ, pericardinæ, pulmonalisque pleuræ, ipsorum etiam pulmonum arteriis stasis existit. Haec cordi obstatulum ponit, irritationem fortioremque ejusdem contractionem excitat, unde circulatio auctior, id est, febris, pulsus per consequens frequentior, & propter obstructam vasorum seriem, cum ad reli-

reliquos apertos arteriosos tubos major tenacioris cruris quantitas, diastolen systole majorem minimeque proportionatam in iis producens, adigatur, durior, in ipsis vero obstructis arteriis, ob nimiam eorundem distensionem, pungens dolor nascitur (kk).

At remota nostri morbi causa in debilitate vasorum ibi locorum tono, & sanguinis abundantia densitateque ponenda est.

Inter occasioales autem causas frigidam aëris tem periem, corpori præcipue sudanti aut calenti admis-  
sam, aut subitaneas ejusdem ex calido in frigidum vicissi-  
tudines, anni hinc vernale aut autumnale tempus, motus-  
que fortiores tunc in primis institutos, frigidorum potu-  
lentorum corpore calente existente ingurgitationes, æta-  
tem juvenilem aut adultam, temperamentum sanguineum,  
evacuationes sanguineas tam naturales, v. g. menses, lo-  
chia & hæmorrhoides, quam præternaturales, hæmopty-  
ses præcipue, suppressas, aut artificiales omissas, pectoris  
per cantus, clamores, sermones, instrumentorum musicorum  
inflationes fortiores debilitations, animi pathemata,  
præcipue iracundiam, ictus, lapsus, pressiones, contusio-  
nes pectoris accusare debemus. Hisce quippe ex causis  
pleuram æque ac pulmonem, si jam in solidis fluidisque  
horum locorum dispositio adest, inflammatio facillime ci-  
tissimeque occupari poterit. Et, quamvis pleuritidem vel  
pnevmonitidem solam ab his etiam causis produci posse,  
non negemus, non tamen facile pleuritum solam, nisi a  
violentia externa, nec pnevmonitum solam, nisi a frigi-  
di aëris vel potus admissione ingurgitationeve, fieri credimus.

(kk) Hæc & reliqua inflammationis symptomata nemo melius magisque mechanice quam BoERHAAVE Apb. §. 382. sqq. & doctissimus Commentator VAN SWIETEN T. I. p. 644. sqq. atque SAUVAGES Diff. Inflamm. theor. Montpellier 1743. habita explicituit.

## §. XIV.

Febris magnitudo, pulsus durities, doloris pungentis acerbitas, respirationisque difficultas in pleuripnevmonitide medicum ad sinistram prognosin, quemadmodum contraria ad bonam ferendam determinant, hinc ad haec symptomata praecipue attentum animum habere per totum morbi decursum idem debet. In sputis quoque contemplandis sollicitum, quoties ad ægrum accedit, fæse gerat, tempus enim, quo apparent, consistentia, color, odor & quantitas eorundem plurimum circa morbi indolem ejusve eventum in prædictione certitudinis afferre non dubitandum est. Sic, quo citius apparent, eo breviorem morbum indicant (*ll*). Quo tentiora, eo pejora, quando vero spissiora sunt, imo mucosa aut flava, tunc coctam materiam morbificam indicant, &, quando jam quarto morbi die ita projiciuntur, imo sanguine tincta sunt, per continuatam tunc exscreationem, aut quandoque sudorem, septimo die inflammatio iudicabitur. Urinæ etiam interdum profluvium copiosum, aut alvus fluxa (*mm*), aut mensium, hæmorrhoidum, lochiorum, narium sanguineus fluxus crisis efficit. Tenues vero sudores, aut urinæ, periculum ingens, sphacelum & delirium portendunt. Ubi ante quartum diem levamen symptomatum non percipitur, resolutio non speranda, sed suppuratio succedet (*mm*), sique tunc abscessus intra quadraginta dies ruptio & excretio non fit, ex retenta eaque acriori reddita materia phthisis metuenda est, viride aut faniosum tunc sputum ulcus sufficienter declarat. Si doloribus successive cedentibus tussicula remanet, phthisis itidem metuenda est. Ad aures aut crura in hoc morbo abscessu contingente bonum est. Lividum aut nigrum sputum gangrenam in sphacelum

celum mutatam portendit. Si sputa dolores non levant, malum. Erectum sedere velle semper in hac affectione pessimum est. Si febris, tussis, dyspnoea, dolor quotidie exacerbantur, septimo die mors aderit. Deliria, deliquia, extremonrum frigora, dolores subito recedentes, mortem fores pulsare praesagiunt (oo).

(II) HIPPOCRATES in *Prænot.* N. XIII. jam *sputum in omnibus doloribus qui circa pulmonem & latera sunt, celeriter ac facile expiri debere oportere,* dixit.

(nn) Valet hic GALENI *Comm. in Apb. Hipp.* 16. S. VI. effatum, moderate tamen pleuritidi aut peripneumonia supervenientis diarrhoea potest aliquando vacuationis ratione prodeesse, multoque magis, postquam coctionis figura morbis inesse non apparuerint, neque metus adeat, sed morbus periculo vacat. Non ergo semper in inflammationibus pectoris periculosa, uti ordinarie fieri solet, pronuncianda est.

(m) Vid. KLEIN *Interpr. Clin.* p. 242. Huc faciunt & HIPPOCRATIS verba de Morb. L. I. C. VI. si peripneumonia correptus diebus principibus non purgetur, sed sputum & pituita in pulmone remaneat, suppurratus sit.

(oo) ARISTAEUS L. II. C. I. de *Cans.* & *Sign. Morb. Acut. presentiam malii ignorant, eos si de morbo interroges nihil periculi instare respondent, eorum algent extrema, livefcunt unguis curvanturque, pulsus arteriarum parvi frequentissime sunt, deficiente quando ipsi proxime mors est, septimo die plerunque moriuntur, dicit.*

## §. XV.

Pleuripneumoniticorum molestias periculaque aver-  
furus medicus has indicationes exequendas sibi propo-  
net.

- I. Sanguinis quantitas minuatur.
- II. Ejus spissitudo indeque nata itatis phlogistica resol-  
vatur.

D 3

III. Do-

## III. Dolorosæ pectoris tensiones relaxentur.

## IV. Humorum fluxus ad inferiora derivetur.

Primam indicationem V. Sio 'pp) in brachio larga, ad 3 viij. x. instituta, & si crusta tenax, alba, corii instar densa (qq), in ejus superficie comparuerit, febrisque, pulsus durities, doloris gravitas, respirationis difficultas ac tussis clamor continuaverint, eodem in loco (rr), & deinceps etiam in pede administrata, siveque, cum vifcus vitale ardeat, quinque, sex, octo vicibus intra diem celebrata, sequentibus etiam diebus, quo usque nulla coctionis, criseos aut suppurationis, nulla etiam fracti roboris vitalis signa aderunt, reiterata, implebit.

Secundæ indicationi absorbentia, diapnoica, emulsiva, temperantia, antiphlogistica, nitrofa nempe, opata, camphorata, sulphurata antimoniana teneriora, præcipue Kermes minerale (ss), sub pulverum, mixturarum, emulsionum, pilularum forma exhibita, satisfaciunt, quibus vehiculi & attenuationis scopo infusa theæformia ex blandis pectoralibus floribus, ptisanæ ex Renetis aut Borsdorianis pomis, vel e rad. gramin. liquirit. fragar. raf. C. C. sem. lin. tepide propinatae, aut juscula ex pulmone vitulino cum herb. chæref. endiv. lactuc. rad. cichor. adjungenda sunt.

Tertiæ indicationi demulcentia, oleosa, pinguia, interne ol. nempe amygd. dulc. lin. sperm. cet. butyr. cacao, syr. dialth. viol. papav. rh. alb. facch. lact. violat. cand. rubr. vel alb. spec. diatrag. frig. externe vero ungt. pector. dialth. sperm. cet. ol. lin. hyper. rosat. (tt) croc. camphor. axung. capon. vel poma Franconica cum chæref. & cepis alb. in ol. lin. frixa & in cataplasmatis formam redacta, aut vesica spec. emoll. in lacte coctis dimidia ex parte repleta, avena tosta aceto irrora-

irrorata faccoque indita, linimentum ex zingib. pip. nigr. cum album. ovor. stupæ inductis laterique dolenti impositis (aa), halitusque aquosi ex herbarum emollientium decocto sub balnei vaporosi forma ad asperam arteriam admissi, succurrunt. His remediis, quamdiu morbi ferocia urget, ita insistendum erit, ut alternatis horis modo antiphlogisticum, modo diapnoicum, modo demulcens exhibeatur, iisque diluentia multa externaque interponantur. Quodsi febris gravior, dolor acerbior, inflammatio pertinacior, respiratio laboriosior, aut caput etiam occupatum erit, resolvendi simul ac derivandi humores scopo.

Quarta indicatio vesicatoria furis applicanda suadet (xx), per totum vero morbi decursum emollientibus enematibus quovis die, &, ubi febris inflammatoria deforbuit, morbusque pacatus fuit, minorativis laxantibus rhabarbarino mannatis derivatio humorumque noxiorum e corpore evacuatio peragenda est.

Si in abscessum aut ulcus abiit phlogosis, non solum pectoralibus, demulcentibus, sed & abstergentibus, confolidantibus, ac balsamicis utendum est. In quemquidem finem lac asinimum, vel aqua Selterana, aut aqua calcis secunda (yy) cum lacte nupta adhiberi, balsamus etiam canad. peruv. copaiv. aut therebinth. adhiberi, imo & vapores balsamicorum ad fauces & pulmones determinari (zz) possunt. Si abcessu rupto purulenta materia in thoracis cavum effusa fuerit, empyematis operatione, si intra mediastini cavum eadem continetur, ejusdem terebratione educenda est. Si tandem induerit pulmo, ferulacea gummata, præcipue ammoniac. millepedes, præcipue eorum succus cum jusculis medicatis, acidulæque falinæ propinentur.

(pp) Ab

(pp) Ab omni retro antiquitate in pleuritide sanguinem missum fuisse MOREAU eruditio tractatu de missione sanguinis in pleuritide ubi demonstratur ex qua corporis parte detractus ille fuerit a duobus annorum milibus ex omnium pene medicorum græcorum latinorum arabum barbarorum exacta enumeratione juxta temporum quibus floruerunt seriem instituta Paris. 1630. primum impresso, sed Hal. 1742. SCHULTZII opera, cui multum ideo debemus, recuso, probavit, hæc & ad pleuripnevmonitidem applicanda, cum innumeri horum ægrorum, qui pleuritici solum habiti fuerunt, certissime pleu:ipnevmonici fuerint. Est vero V. Sio utique in omnibus inflammatoris pectoris morbis æque ac in aliis inflammationibus sacra anchora, primum, præcipuum, maxime necessarium, quandoque solum sufficiens & unicum auxilium, quidquid etiam HELMONTIUS in *Pleura furenti* Opp. p. 383. & cum eo ali obsecrati V. Snis ofores organiant, & quamvis etiam cum HELMONTIO cruentum Molob *cathedris presidere medicis se conspicere*, exclamant.

(qz) Sanguis crusta alba in superficie notatus *xar'ezx'n* pleuriticus in praxi medica audire solet, quamvis non in inflammatione pleura sola, sed & in omnibus reliquis inflammationibus talis appareat, imo in aliis etiam morbis, in tussi, asthmate, catarrhalibus febribus, in gravidis etiam, si sanguis e vena ductus stagnat, tali crusta obductus conspicitur. Non igitur crusta hæc sola ad inflammationem dignoscendam sufficiens signum est, imo absque inflammatione praefente talis crusta adesse poterit, hoc tamen non inficiamur dispositionem ad inflammationem hos, quorum in sanguine educendo crusta talis appetet, in situ fovere semper solere. In ipsis etiam pectoris inflammationibus non prima V. Sio statim crustam refert, sed sequentes demum sanguinis missiones eandem exhibent, imo, quo sèpius dein educitur sanguis, condensior hæc sepe praesentat, tandemque nihil fere nisi retrorsus, totus quantus ex crusta constans thrombus, in copioso fero natans, conspicitur. A flava sanguinis parte sive fero, per calorem febilem inspissato, coagulato, nec amplius cum rubra parte mixto, sed inde secedente, crustam hanc oriri arbitramur. Quæ de ea porro notanda sunt, SYDENHAM *Obj. circ. Morb. Acut. Hist. S. VI. L. III.* Opp. p. 164. VAN SWIJTEN *Comm. Boerb. T. I. p. 651. sqq. & T. III. p. 38.* ac TRILLER *de Pleuritide p. 23.* folide prosecuti sunt. Nunquam vero crustæ praesentia sola V. Snem suadere, aut ejusdem repetitionem urgere, ni reliqua in textu allegata indicantia adfuerint, debet.

Nec

Nec etiam BAGLIVI *Prax. Med.* L. I. p. 37. &, quem ipse alie-  
gat, LANCISII opinio, qua sanguinem detrahendum esse, do-  
nec hæc crux compareat, quod quidem quando contingit,  
bonum signum esse, tuncque si comparuerit a V. Sne abstinen-  
dum, aut si non in secunda apparebit, ab ea desistendum esse,  
commendant, V. Snis necessitatem aut numerum determinabit.

(rr) In summa orthopœa pectoris inflammationibus accedente  
radialis arteria sectionem MARTIN *Tr. de la Phlebot.* & de  
*l'Arteriot.* p. 488. proposuit, GALENI authoritate, præter reliqua  
argumenta, nifus, utpote qui in doloribus laterum arteriant,  
quæ inter pollicem & indicem serpit, aperiri voluit.

(ss) Tenerius hoc antimoniatum sulphur, quod apud Gallos in  
pectoris inflammationibus primam laudem notante LEMRY in  
*Mem. de l'Acad. des Scienc.* 1720. p. 417. meruit, cum nitro,  
camphiora & opio inter quatuor summa antiphlogistica, tam in  
hoc, quam in aliis inflammatoriis morbis referri debet, quibus  
si cum V. Sionibus, diluentibus & enematibus in iisdem nihil  
proficiimus, reliqua, quæ adhibentur, in casum tentari cre-  
dimus.

(tt) BOERHAAVE L. *de Mat. Med.* & Remed. Form. p. 102. lini-  
mentum ex sach. saturni, aceto & ol. roscar. commendat.

(uu) Hoc in xenodochiis regiis medicis gallicis frequenter adhibetur.

(xx) Auxilium hoc illico BAGLIV. in doloribus laterum magno  
cum ægrotorum levamine adhibuit. Conf. *Prax. Med.* L. I. p. 37.

(yy) Modum eam præparandi & adhibendi HELVETIUS *Tr. des  
Malad. les plus freq.* T. II. p. 131. tradit.

(zz) Conf. VASSE Quæst. Med. an ulceribus pulmonum suffinigium  
& balsamicis. Paris. 1751.

## S. XVI.

Non tamen, his licet adhibitis, optatum morbi e-  
uentum sibi promittere poterit medicus, ni diætetica præ-  
cepta  
E

cepta ægro serio inculcat. Idcirco transpirationem in pri-  
mis, quamdui febris, dolor, dyspnœa, tussis adfuerit,  
impense ipsi commendet, eamque tepidioribus potulentis  
promoveat, aquosa vero solum, nulla spirituosa propinet,  
cremoribus hord. oryz. aven. juscumisque tenuibus, non  
vero carnibus, aut aliis solidioribus eum nutriat, quo au-  
ra pura tepidaque vescatur, procuret, alvinæ libertati  
quotidie consulat, animi pathemata inquietudinesque, quo  
arceat, ipsi commendet, hisque adminiculis reliquis ad-  
junctis pleuripnevmonitidem ad felicem deducat.

## F I N E M.




172

Nou pector, hic nec suppedit  
centrum huius monitione potest mouere in

X 237 3018

1017





B. C. D. 2

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS

DE

PLEURIPNEVMONITIDE

QUAM

SUB AUSPICIIS DIVINIS

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

CONSENSU

PRO LICENTIA

*SUMMOS IN MEDICINA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
RITE CONSEQUENDI*

SOLENNI MEDICORUM EXAMINI SUBJICIT

JOHANNES MICHAEL BOURGARD

WESTHOFFENSIS ALSATA

DIE XVII. MAJI ANNO MDCCCLIV.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA UNIVERSITATIS HEITZIANA.

